

11
91

Y2

93

Y4

Y5

Y6

Y7

Y8



Pr. 53. num 20.

1775.56.

16

EXERCITATIO IVRIDICA
QVAESTIONEM

Vtrum testator cautionem
fideicommissariam remittere possit
continens.

Q V A M

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTIS. CAPITVL. CVRIA
IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACULT. IVRID.
ASSESS. ET ACADEM. DECEMV.

I N A V D I T O R I O I C T O R V M

D. XXI. APRIL. MDCCCLXXV.

AD DISCEPTANDVM PVBLICE PROPONIT
CAROLVS GODOFREDVS HERRMANNVS

LOEBAV. LVSATVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



Colonia



§. I.

Hereditatem, quae per ultimam voluntatem ad nos peruenit, adquirimus vel immediate, ex manibus testatoris, vel mediate, per interpositam personam, illud contingit per testamentum, hoc per fideicommissum. Dicitur fideicommissum ab Vlpiano tit. 25. §. 1. quod non ciuilibus verbis, sed precatiue relinquitur, nec ex rigore iuris proficiscitur, sed voluntate datur relinquenter. Teste enim Iustiniano §. 1. I. de fideicommiss. hereditat. ab initio omnia fideicommissa fuerunt infirma, quia ne-
mo inuitus cogebatur praestare id, de quo rogatus erat, nam nullo iuris vinculo, sed tantum pudore eorum qui rogabantur, continebantur, inde et fideicommissa appellata. Ast sub imperio Diui Augusti

A 2

esse-



effectum ultimarum voluntatum consequebantur fideicomissa, adeo, ut proprius crearetur Praetor, qui de fideicommissis ius diceret, quem ideo fideicommissarium appellabant: Est itaque iure hodierno fideicommissum dispositio ultima, qua testator heredem denominat, ipsi vero restitutionem hereditatis vel totius, vel partis eius iniungit.

§. II.

De diuisione, forma pariter et effectu fideicomissi, vt in praesentiarum agamus, superfluum animaduertimus. Non enim est animus, doctrinam re-censere fideicommissorum, cum haec in systematibus ab illis, qui ex proposito de hac materia scripserunt, satis exposita sciamus. Potius nostrum est, vt quae-stionem circa fideicomissa obuenientem, cuius cau-sa hanc exercitationem conscripsimus, inquiramus et decidamus. Casus, qui ansam huic disceptationi suppeditat, hic est: Titius cum vxore testamentum confecit reciprocum, et maritus vxorem, haec vero maritum heredem omnium bonorum instituit, vtra-que pars insinul disposuit, vt si superstes coniux, ad quam hereditas defunctorae delata, decedat, id quod superest ad cognatos pariter mariti et vxoris qui hac ex causa heredes dicuntur, aequis perueniat partibus, ita tamen, vt coniugi decedenti potestas super dimi-
dia

dia parte pro lubitu disponendi competit. Insimul verbis prohibetur, ne cognati vxoris, vel mariti, a superlita coniuge manifestationem vel consignationem bonorum et cautionem fideicommissariam exigant. Decedit primo loco vxor, et maritus ex dispositione testamentaria ipsi succedit. Cognati praedefunctae vxoris, actionem contra maritum mouent, et ut ipsis pro ea parte, quae post eius obitum ad ipsos peruenit cautionem idoneam praestet, desiderant. An haec petitio valeat, et cognatis ius agendi competit, videamus.

§. III.

Iure Romano ab initio, si rogatus erat heres, post mortem restituere, quicquid ex hereditate superfuerit, heres fiduciarius ad praestandam cautionem neutiquam erat obligatus, nec fideicommissario competebat actio; Cum enim haec dispositio tacitam conditionem, si quid reliquum foret, complectetur, heres fiduciarius totam consumere poterat hereditatem, et si nihil supererat, nihil restituendum esse videbatur. Probat hanc sententiam Papinianus *I. 54.*
ff. ad SCrum Trebellian. Tithis rogatus est, quod ex hereditate superfluisse, Maevio restituere, quod medio tempore alienatum vel de minimis est, quandoque peri non poterit, si non interuertendi fideicommissi gratia, talem aliquid factum probebitur; verbis enim fidei commissi

A 3

bonam



bonam fidem ineffe constat. Suppedit at ictus hac in lege regulam yniuersalem, heredi, qui rogatus est, restituere id quod post eius obitum supererit, non interdictam esse alienationem bonorum, eoque ipso adfirmat, fideicommissum, quod ex iniuncta restituzione colligimus, conditionem respicere, si aliquid ex bonis post mortem heredis supererit. Dependet igitur ius fideicommissario competens ab eventu conditionis, quapropter, cum ante existentem conditionem neccedat, nec veniat dies, ab herede cautionem exigere fideicommissarius nequit. Quemadmodum vero omnis regula admittit exceptionem, ita pariter hoc in casu eadem datur. Si nempe fiduciarius animo proposito, ut elidere queat bonam intentionem testatoris, alienationem vel diminutionem patrimonii suscepit, quod demonstrant verba legis, *si non interuerterendi fideicommissi gratia tale aliquid factum probetur.* Quodsi enim hoc contingat, de dolo coniunctus est heres, sed cum ille in nullo negotio admittatur, potius, ut verbis legis utar, bona fides verbis fideicommissi insit, alienatio in fraudem testatoris pariter quam fideicommissarii facta efficit, ut contra heredem actionem instituat fideicommissarius, et ab eodem cautionem exigat.

§. IV.



§. IV.

Sed iure recentiori Iustianus mutauit causam, et sua constitutione hac de re aliter disposuit. In Nouella enim CLIX. c. 1. expressis iubet verbis, ut vsque ad Falcidiam solum suae institutionis habeat necessitatem seruare is, qui oneratus est restituzione fideicommissi, et non possit aliquid penitus ex illa minuere sufficiens existens, sed heredi quidem supersint tres partes, illi autem quartae solius relinquatur ratio. Cum itaque Imperatori placuerit, conseruare vltimam testatoris voluntatem, quam Iustinianus Nouella XXII. c. 2. pr. legem esse voluit, necessitas exigit, ut heres fideicommissarius ab omni detimento, quod ipsis ex facto heredis fiduciarii forsan contingere potest, sit immunis, qua propter eundem ad praestandam cautionem iuris assistentia adgit.

§. V.

Quae cum ita sint, defendenda videtur sententia; testatorem, qui fideicommissum constituit, heredi in praecuidicium fideicommissarii cautionem lege adprobata remittere non posse, cuius rei rationes haud deficiunt. Expediti nempe iuris est, leges expresse voluisse, vt heres, cuius fiduciae restitutio hereditatis est commissa, fideicommissario ad quem ex dispositione testatoris hereditas venit, idoneam praestet securitatem, per quam non elatoria fit vltima voluntas



luntas: hanc ob causam Imperator l. i. Cod. ut in possessionem legatorum: quoniam actio nihil amplius postulat, quam ut fidicommisso nomine caueatur, isbet, ut non debeat is, qui iuri dicundo praefit subtiliter cognoscere, debeat nec ne fideicommissum, sed tantum decernere, ut satisdetur. Quodsi satis dationem denegat heres in possessionem mittitur fideicommissarius, quod probat l. 6 C.b. t. Certa est forma iurisdictionis, qua fideicommissi seruandi causa in possessionem rerum, quae in causa hereditaria sunt, aut dolo malo esse desierunt, is, cui legati vel fideicommissi nomine satis non datur mittitur, Conf. l. 5. eiusd. titl. l. 10. ff. ut in possess. legat. Wernb. P. II. Obs. 452. Aquo onere nec heredis dignitas, nec defectus dilapidationis liberat. CARPZ. P. III. C. elect. IIX. def. 38. n. 3. MÜLLER ad struu. Exerc. 36. §. 51. Est itaque cautio fideicommissaria ex iure praescripta, et ex lege supra citata 6 Cod. ut in possess. legator. ad formam iurisdictionis pertinet, testator vero ultimam suam voluntatem, ut legibus repugnet confidere non potest. Nemo enim l. 55. ff. delegat. i. potest in testamento suo cauere, ne leges in suo testamento locum habeant quod communi nititur principio: omnis nempe actio, quae legibus est contraria, et iisdem repugnat, caret effectu. Quicquid enim Praetor de pactis l. 7. § 7. ff. de pactis. Pacta conuenta, quae neque dolo malo, neque aduersus leges, plebi-

◆ ◆ ◆

plebiscita, Senatus Consulta, Edicta Principum, neque, quo fraus quis eorum fiat, facta sunt, seruabo, disponit, ad omnes quoque reliquas actiones subditorum, qui voluntari Principis obtemperare debent applicamus. Exinde forsitan valebit opinio eorum, qui remissionem cautionis a testatore fieri posse negant, quod eo maiorem promereri videtur applausum, si in considerationem vocare velis; testatorem cautionem usufructuariam ob legem i. Cod. de usufruct. usufructuario remittere haud posse.

§. VI.

Aliam rationem defendendi sententiam suppeditat studium conferuandi testamenta. Satis enim constat, sanctam et illibatam fuisse ultimam moribundorum voluntatem, et non solum Imperatores constitutionibus et rescriptis, sed Iusti quoque responsionibus omnem adhibuisse operam, ne testamenta corruerent. Introduxerunt hinc inde substitutiones, aliasque suppeditarunt modos, per quos efficiebant, ne cogeretur inuitus heredibus ab instato relinquere hereditatem, qui ex testamento volebat decedere. Quicquid igitur ultimam voluntatem elidere, et ut careat effectu occasionem praestare potest, id, ut omni studio euitemus, aequitas suadet. Nec indulgendum hac in parte est testatori, qui forsitan animo non praemeditato aliquid disposuit, de quo, si euentum praeui-

B

dere



dere potuisset, nunquam cogitasset. Ponas enim casum; heredem, cui testator cautionem fideicommissariam testamento remisit, sine dolo et culpa bonis ita lapsus esse, ut post eius obitum nihil supersit, quod fideicommissarius consequatur. Sine effectu nunc est dispositio testatoris, qui tamen sine dubio cum relinqueret fideicommissum, voluit, ut liberalitas habeat exitum. Cum itaque in dubio benigniora sint sequenda, ea vero benigniora dici promereantur, quae ultimam conseruant voluntatem, melius erit, ut denegemus potestatem remittendi cautionem, quam ut eandem defendamus.

§. VII.

Sed quamvis haec, quae in antecedentibus diximus, veritatis quandam speciem prae se ferre videantur, verior mihi tamen est sententia, voluntatem testatoris non esse restingendam, sed potius remissionem cautionis ex eius dispositione habere effectum, quod ex tribus capitibus probo 1) ex natura negotii 2) ex legis dispositione et 3) ex autoritate practica. Quod ad primum attinet, nemo negabit, a testatoris voluntate dependere, utrum testamentum condere, fideicommissum relinquere velit, nec ne; Cum enim legibus duodecim tabularum, uti legasset suae rei, ita ius esto, patrifamilias de rebus suis disponendi inter viuos et motis causa competat potestas, in aprico est positum testa-

◆ ◆ ◆

testatorem vltimo iudicio, cuilibet aliquid ex bonis relinquere posse, dummodo non existat violator legum. Cum igitur solummodo ex eius dependeat arbitrio, an heredem onerare, et tertio fideicommissum dare velit, merito et eius voluntati est relinquendum, remittere heredi cautionem, quam vt securus reddatur, nec de fide heredis dubitare possit, leges ipsi concesserunt. Regula enim communis; cui competit maius, illi et competit minus, in hoc quoque causa ad applicationem consequitur. Poterat nempe testator integrum hereditatem relinquere heredi, et nullum constituere fideicommissum, quod est maius, merito ergo illi, si tertio ex mera liberalitate aliquid ex bonis suis confert, competere debet facultas, cautionem, quam alias imponere poterat heredi, huic remittere. Excipimus tamen casum, quando heres in dolo versatur, et animo inuertendi fideicommissum et elidendi voluntatem testatoris, dispositionem bonorum suscipit. Cum enim, dummodo ex sana ratione rem consideremus, praesumere debeamus, testatorem ideo remississe cautionem, quia existimabat heredem bona fide agjurum esse, contrario existente, haec praesumtio merito cessat, et hinc vltimum secundum regulas communes, vt iudicium habeat exitum, testari voluisse testatorem colligimus.

§. VIII.

Alterum probandi caput, praestant nobis leges: Ipse Iustinianus Nouella CLIX. c. 2, dum cautionem imponit fiduciario heredi, sententiam confirmat, quod testantur verba finalia, *nisi et ipsam testator sicut in promuntiato nobis facto prohibuit: addita ratione, cum enim et ipse testator omnem non fideiussionem solum, sed etiam cautionem relaxauerit, non aliter disponere non est morientis coniicere voluntatem.* Clariorem adhuc reddit sententiam Imperator MARCVS l. 2. C. in poss. legat. Ipsis ait, *rerum experimentis cognouimus, ad publicam utilitatem pertinere, ut satisfactionem, quae voluntatis defunctorum tuendae gratia in legatis et fideicommissis introducuae sunt, eorundem voluntate remitti possint.* Quocunque enim iudicio voluntatis, *sæcilio legati vel fideicommissi remitti potest.* Hoc idem Imperator l. 6 repetendo confirmat, et insimul ad cautionem vsufructuarium applicat, excepto tantum casu, quando testator vsufructuario satisfactionem, ut boni viri arbitratu vtatur fruatur, remittit. Eo ipso limitationem patitur l. 1. C. de usfr. Plerique etenim, qui de huius legis interpretatione sunt solliciti, in ea versantur opione, Imperatorem remissionem cautionis penitus intertixisse testatori, quod vero ex hac lege neutquam apparet, quippe verba, *tamen non aliter a debitoribus solutam pecuniam accipere pateris, quam oblata*

◆ ◆ ◆

*oblata secundum formam SCti cautione, liquido demon-
strant, Imperatorem prohibitionem remissionis cau-
tionis tantum ad quasi usufructum restingere vo-
luisse.*

§. IX.

Supereft, vt vltimo loco, auctoritati practicae conuenire hanc decisionem, demonstramus, quod tertium probationis caput exigit. Confer: hac de re CARPZ. P. III. C. El. IIX. def. 38. n. 6. Idem in *Re-
sponsis. lib. VI. tit. III. Respons. 32. num. 3.* in quo loco
CARPZ. simul probat, remissionem fieri vel expresse vel tacite, ad quod refert, si testator heredi potestatem bona fideicommissio subiecta, alienandi et distra-
hendi concedit. MENK. ad Pand. tit. vt legat. seu fideicomm. cauf. Knipschild de fideicomm c. 12. n. 13. Ad-
dere et licebit sententiam, quam nuperrime dedit Fa-
cultas Iuridica an den A. zu Suhl in causa Schilling c.
Kletten.

*Als uns Aßta Valtin Schilling und Consorten Kre
an einen, Jobann Christoph Kletten Bekl. andern Theils
betreffend nebst einer Frage zugeschicket worden, und etc.
Dennoch etc.*

*Dass Klgr. suchen nicht statt hat. Die aufge-
wandten Unkosten aber feynd gegeneinander zu com-
peniren und aufzuheben V. R. W.*



Rationes.

Ob wohl in den Fall, wenn der testator seinem Erben, dass er dasjenige, was nach seinem Absterben noch von der Erlöschafft übrig bleiben würde, an einen tertium als ein Fideicommiss ausantworten solle, anbefohlen, dass zum wenigsten der heres fiduciarius den vierten Theil von dem Vermögen erhalten, und dieserhalb dem fideicommissario hinlängliche Sicherheit verschaffen müsse, die Gesetze

Nou. CLIX. c. i.
verordnen, dieses auch in Praxi bewährter Rechts Lehrer
Meynung nach

Wernh. P. II. Obs. 452.

also angenommen, und darauf erkannt wird. In dem beygelegten Testamente aber Bekl. Kletten und sein verstorbnes Eheweib ausdrücklich disponiret, dass nach Absterben des überlebenden Ehegattens das Vermögen, welches nach dessen Tode annoch vorhanden seyn würde, auf des Mannes und des Eheweibes nächste Freunde, und zwar auf jede Linie zur Helfte fallen solle; hingegen wenn der überlebende Theil heyrathen würde, derselbe auf diesen Fall über der Helfte des nach seinen Tode übrigbleiben den Vermögen freye Disposition behalten solle, bestimmet worden. Wannenhero, da Bekl. ad secunda vota geschritten, und der Fall eingetreten, wo Kl die Hälften von dessen Vermögen nach dem Tode nach Vorschrift des testamenti

testamenti zufällt, dass dieselbe in Erwegung derer in der Klage angeführten bedenklüchen Umstände, sowohl eine eydl. specification, als auch hinlängliche Caution zu verlangen vermögend, und daher deren Suchen vor unstatthaft nicht zu achten gewesen, es, scheinen möchte.

Dennnoch aber und Diewel in oben angezogenen testamento reciproco, dass keines von beyden, welches das andere überleben würde, von des Verstorbenen Freunden und Anverwandten im geringsten turbirt, und belästigt werden, auch kein Anverwandler von dem einen oder dem andern überlebenden Ehegatten eine eydliche Manifestation und Caution zu fordern, oder gerichtliche Obsignation lauentur und Sequestration zu suchen befugt seyn solle, ausdrücklich verordnet, hingegen dass ein Erblässer dergleichen zu verfügen und dem heredi fiduciario die sonst erforderliche Caution zu remittiren vermögend der Gezeite

Nou. CLIX. v. 2, in fin.

Authent. contra ad SCtum

Trebellian.

I. 2. C.vt in Possess. legatorum.

erlauben, dieses auch von bewährten Rechtslehrern

CARPZOV. P. III. Const. El. IIX. def. 38.

MENCK. ad Pand. tit. Ut legatorum seu fidei commiss. §. 3.

KNIPSCHILD. de fideicomm. c. 12. n. 13.

ange-



angenommen und darauf gesprochen worden. Wannen-
bero da Kre etwas von Bekl., wovon derselbe durch das
von seinen verstorbenen Eheweibe errichtete, und von
Kre selbst agnoocirten Testament freygesprochen mor-
den, fordern, dass derselben Suchen vor unstatthaft zu
achten keinen Zweifel unterworfen, jedoch in Ansehung
derer Unkosten vor Klgre so viel, dass solche zu compe-
niren, streitet.

So ist, wir im Urtheil enthalten, von Uns billig
erkandt worden.



Leipzig, Diss., 1975 K-2



Pr. 53. num 2

177556.

16

EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

Vtrum testator cautionem
fideicommissariam remittere possit
continens.

P. 285^r QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
P R A E S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAЕ
IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACVLT. IVRID.
ASSESS. ET ACADEM. DECEMV.

IN AUDITORIO ICTORVM

D. XXI. APRIL. M D C C L X X V.

AD DISCEPTANDVM PVBLICE PROPONIT
CAROLVS GODOFREDVS HERRMANNVS

LOEBAV. LVSATVS.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

